



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Quomodo Christus venerit, vt videntes cæci fierent?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

vel oculos atollere? Siquidem Prophetia Deum aduenturum significat: & signa eius presentia tempus ostendunt. Ac in aduentu eius futurum esse, vt cæci videant, claudi ambulent, surdi auscultent, & balbi expediam linguam habeant, præcio denuntiati indicauerunt. Quando igitur talia signa contigerunt in Israel: Aut vbi simile quippiam in Iudæa accidit: doceant. Naaman leprosus mundatus est, sed surdus non audiuit, nec claudus ambulauit. Mortuum excitauit Helias & Helisæus, sed non a qui natura cæcus fuit, per eos visum recepit. Magnum quidem profecto mortuum reuera excitare. Cæterum id non tale miraculum, quale Saluatoris nostri: Atqui de lepra, de mortuo, de claudis, non tacuisset scriptura, maxime si accidisset aut claudum obambulare aut cæcum visum recipere. Nequaquam hæc indicare prætermisissent sacra literæ. Quoniam igitur tacitum est de ea re in scripturis, certum est ea prius non euenisse. Quando igitur ista asciderunt, nisi quando ipse Dei sermo in corpore fuit? Quando autem adfuit nisi cum corrigit claudos ambulare, linguam balborum expediri, surdos audire, cæcos a partu visum recipere: ideo que eius temporis Iudæi hæc videntes, in hæc verba proruperunt, vt pote qui non abunde hæc fieri audierunt. Nunquam talis surrexit in Israel, ab æuo auditum non est, vt quisquam aperuerit oculos a partu cæci, Nisi hic esset à Deo, non posset quippiam tale facere.

Nisi esset à Deo non posset quicquam facere. Syrus hoc nempe cæcum à natiuitate curare. Hoc ergo modo intelligendum est, Deum peccatorem non audire. Seu vt Syrus habet, vocem peccatorum non audire.

§. 2. Quod olim isto loco vñ sunt Donatistæ, vt docerent sacramenta irrita esse, quæ à peccatoribus administrarentur, id quidam imitati sunt patrum saculo, & qui baptismum cum Cypriano negabant ratum, si hæreticus eum contulisset. Cyprianus. Ep. 64. & 68. Et Cyprianus quidem sententiam mutauit, seque à Catholicis non separauit, vt testatur Augustinus, discipuli eius qui contumaces in errore perstiterunt, damnati sunt. Obijcit l. 7. de baptismo contra Donatistas apud Augustinum cap. 21. Lucius à Mambrecta. Scriptum est. Nemo potest accipere aliquid nisi datum fuerit ei de cælo. Si hæresis de cælo est, potest baptismus dare. Respondetur audiatur & alium dicentem si Ananias de cælo est, potest baptismus dare, & tamen dano auari. sic ergo & hæretici.

Pluribus respondet l. 2. c. 8. contra Epistolam Armeniani. Summa est, non iudicandose esse facile peccatores, eos audiri à Domino; idem Origen. hom. 5. in Isa. & Baillius constitit. monast. c. 2.

Impij aliquando miracula faciunt signo iustitiæ, non ad roborandum errorem, sed veritatem confirmandam. Ita Augustinus lib. 83. qq. 9. 79. Quin etiam Caluinus ad impetrandum à Deo aliquid pietatem & fidem requirit. Peccator, inquit, hic impium & sceleratum significat. Deum ait non audire nisi à quibus vere, & sincero corde vocatur. Solam fidem ad Deum appetire ianuam, impios in precibus nomen Dei profanare, & mereri sacrilegij pœnas, nihil impetrare. Impios autem intelligit, qui non credunt sua scelera sibi non imputari.

Falsum igitur est, quod & Caluinus, & eius, assecletores declamant: impium dum adhuc impius est, iustificari, Deo gratum, conciditque tota illa imputatæ iustitiæ vanitas. Quod vero Brentius hic gartit ex miraculo non esse fidem, sed verbo Dei, fallit imperitos. Nam vt verbo credamus miracula fiunt, mouent illa animum vt verbis assentiamur.

VERSUS 39. & seq.

Et dixit ei Iesus. In iudicium ego in

hunc mundum veni: vt qui non vident, videant: & qui vident cæcificent. Et audierunt quidam ex Phariseis qui cum ipso erant: & dixerunt ei, Nunquid & nos cæcificamus: & c.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus venerit, vt videntes cæci fierent?

§. 1. Cœcus audito Christum esse filiū Dei. Procidens eum adorauit, adoratione Deum reatus, vt docet Chrysostomus. *εἰτε τὴν πολλὴν διάθεσιν ἐμπαιῶν προσεκύνησεν εὐθέως, ὅτι οἱ ἅλθοι τῶν τε δεσποτέρων ἐπισημοῦν ὄντων ὁ λεπτοὶ καὶ εἰς ἀπὸ, διὰ τῆς ἐμφάνειν αὐτῶν τὴν θεῖαν δυνάμιν, ἵνα ὅ μῆτις νομισθῆναι μόνον εἶναι τὸ λεχθῆναι, καὶ τὸ ἔργον προσεσηκῆ. Ille affectum suum è vestigio adorando protulit, quod pauci curati fecerunt, vt leprosi illi, & alij: hoc pacto diuinam eius virtutem demonstrauit, ne quis enim verbo tenuis dixisse arbitrari posset, opus etiam addidit.*

§. 2. Postquam igitur cæcus vidit, credidit, adorauit, videntes autem miraculi magnitudine excæcati sunt, subiecit Christus se in iudicium venisse, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. Particula vt non est hoc loco ἀπολογικόν, vt notant Græci, sed ἐπιδακτυλῶν; Non enim causam vniuersæ significat, sed in parte causam in alia euentum. Venit enim propter nos cæcos, & miseros, vt illuminaret, sua deinde gratia perfidos liberaret, non venit propter seipsum, vt docte exponit Athanasius oratione 3. contra Arianos. *Saluator quoque idem de ipso loquitur, Ad iudicium ego in mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Non igitur propter seipsum sed propter nostram salutem, & ob demolitionem mortis, & condemnationem peccati; & vt cæci visum recipere, & vt omnes è mortuis excitarentur, aduenit. Si igitur non suis gratis, sed nostri veni, ne que in suis ipsius visum conditur, sed ad nostrum, sperari non potest vt sic creatura.*

§. 3. Iudicium exponunt dupliciter, proprie & pro iudicatione, vt sensus sit, sed iudicaturū nunc alios illuminandos, alios excæcandos. Quo pertinet etiam illorum interpretatio, qui iudicat, restringunt ad solam condemnationem. Aliter iudicium generaliter accipiunt pro diuina providentia, qua Christus in mundum venit, eo effectu, vt qui cæci sunt, videntes fiant, & videntes excæcentur: non quod excæcatis auctor sit providentia, sed quod alios miserè cordet illuminet, alios iuste in cæcitate relinquat. Nam cæcos hic dici eos, qui se maxime videntes arbitrantur, cæcitate, ignoranceque arrogantes, ideo ait, ver. 41. Si cæci essetis, hoc est: cæcos esse cognosceretis, peccatum non haberetis, iam enim dudum ad remediū venissetis, & remissa essent peccata vestra, nunc autem peccata vestra manent. Nam in Græco alij legunt ἀμαρτίαν alij ἀμαρτία. Iusto ergo Dei iudicio tam impia cæcitas, falsu & odio obtenebrata deseritur. Quamvis & alius, isq; verissimus possit esse sensus. Si cæci esse is corpore & animo, aut sola duntaxat mente, hoc est, mea miracula non vidissetis, doctrinam non audissetis, vt multi sunt longinquis in locis, qui de me nihil audierunt, peccatum hoc perfidiæ, & duritiæ contumacissimæ non habetis, nunc vero peccatū vestrū manet, vt loquatur Dominus non de omni delicto, eosq;

Non est Christus causa excæcationis.

Iudicium hoc loco.

Singularis in Iudæis cæcitas.

Ab Col. 1. 12

abfoluat, sed de illo singulari, quo spiritui sancto, a-  
gnita veritate resistebant.

§. 4. Bullingerus hinc liberum oppugnat arbi-  
trium. [Habemus hic quoque certum & infallibile  
veritatis iudicium pronunciatum contra prædicator-  
res vicium liberi arbitrij. Hi enim si & ipsi cæci ef-  
fent, & seruitutem, & infirmitatem, atque corru-  
ptionem ex suo peccato agnoscerent, gratia Christi  
illuminarentur, quia vident, id est, quia vires suæ  
carnis iactant, & gratiam Christi non vnicè magni  
faciunt, inhaerent in ipsis cæcitas, atque peccatum.]

*Liberum arbitrium non tollitur.*  
Respondet Pelagianose a ratione confutari, vi-  
firmata eatenus libertas, vt suo Marte legem præsta-  
re non possit, adiutorio gratiæ possit. Si cæci essetis, in-  
quit Christus, peccatum non haberetis, quod scilicet cæci-  
tatis inuoluntaria sine culpa est. Eodem modo si li-  
bero arbitrio non peccat, peccatum non habent.  
Accusabat Catholicos Pelagius, quasi liberi arbitrij  
negatores, in eorum locum & crimen successere  
Prædicantes. Frustra, inquit Hieronymus aduersus  
Pelagium, cap. 4. blasphemus, & ignorantium auribus  
ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Dæmnetur ille  
qui damnat. & proœmio aduersum Pelagianos, in  
dialogo. Manichæorum est, hominum damnare naturam,  
& liberum auferre arbitrium, & adiutorium Dei tollere.  
Ille tantus arbitrij prædicator gratiam Dei non im-  
pugnat. Epist. 739. ad Cyprianum Tom. 3. f. 389.  
Quem hostis persequitur, ad muros vrbum confugit. Fessus  
viator, tam sole, quam puluere, umbra quarit solatium. Si  
fauissima bestia hominis sanguinem sicut, cupit & nititur,  
vicumque poterit præfens vitare discrimen. Ita & homo à  
principio conditionis suæ Deo vitæ adiutore: & cum illius  
sit gratia, quod creatus est, illiusque misericordia, quod sub-  
sistit & viuat, nihil boni operis agere potest sine eo: qui ita con-  
cessit liberum arbitrium, vt suam per singula opera gratiam  
non negaret. ne libertas arbitrij redundaret ad iniuriam con-  
ditionis, & ad eius contumaciam, qui ideo liber conditus est,  
vt absque Deo nihil esse nouerit. Quod autem dixit in ge-  
neratione & generatione, omnia significat tempora, & ante  
legem, & in lege, & in Euangelij gratia, vnde & Apostolus di-  
cit: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed ex  
dono Dei. Et omnes epistola eius in saluationis principio non  
prius pacem habent, vt donatis nobis peccatis nostris, pacem  
Domini consequamur.

Arbitrium autem cum gratia diuina operari do-  
cet comm. in c. 49. Isaie. lib. 13. Tom. 4. fol. 156. Hac  
vniuersa dicuntur vt liberum hominis arbitrium monstrare-  
tur. Dei enim vocare est, & nostrum credere, nec statim si nos  
non credimus impossibilis Deus est: sed potentiam suam no-  
stro arbitrio derelinquit, vt iuste voluntas premium conse-  
quatur. Quia ergo noluerunt per me in te credere, iudicium  
meum apud te est, quod omnia fecerim quæ eum facere debui, di-  
cens in Euangelio: Ego te glorificauit super terram, opere com-  
pleto, quod dedit mihi vt facerem.

Et lib. 3. dial. c. 3. fol. 293. t. contra Pelagianos. Ego  
ne liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione nihil al-  
liud egi, nisi vt omnipotentiam Dei cum libero arbitrio con-  
seruarem? Crito: Quomodo seruas liberum arbitrium, qui di-  
cis hominem nihil posse facere, nisi Deus semper adiuuerit? At-  
ti. Si in culpa est, qui libero arbitrio iungit Dei auxilium: Er-  
go ille laudatur, quæ Dei tollit auxilium.

Et in Ezechielem ca. 2. Loquitur hæc Deus ambigen-  
tibus affectu, vt liberum hominis monstrat arbitrium: ne pro-  
sentia futurorum boni vel mali immutabile faciat quod  
Deus nouit esse futurum. Quod vero addit Bullinge-  
rus. In sanctis etiam esse peccatum, sed non manere, non im-  
putari, Libertinismum sapit: Nam peccatum reuera  
manere, & peragi credit, sed tantum non imputari;  
itaque eadem scelera & deteriora scelera in sanctis

esse concedit, sed non imputari, infidelibus autem  
imputari.

## QVÆSTIO II.

An sit Deus cæcitatibus auctor?

§. 1. O Stendi ex Chrysostomi & Theophylacti in-  
terpretatione particulam vt non casualiter Deus non  
accipiendam, sed euentum indicari duntaxat. Sic & Theodoretus  
Theodoretus q. 12. in Exod. interpretatur pag. 29.  
Ceterum, vt aliquo adducto controuersiam dissoluamus, ad-  
uertendum est, quod sol vt caloris sui ceram quidem liquifa-  
cit, lutum vero exiccac: & illam quidem emollic, hoc autem  
indurac. Quæmadmodum ergo sol iste, vna & eadem virtu-  
te contraria operatur: sic ex longanimitate Dei omnium non-  
nulli capimus vtilitatem, alij vero damnium: & illi emolliun-  
tur, isti vero indurantur. Quod & Dominus declarauit in sa-  
cris Euangelis: In iudicium inquit ego in hunc mundum ve-  
ni vt qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant. Non  
quod per hoc declaratus calem fuisse Domini scopum (neque e-  
nim huius gratia venit, vt reddat eos, qui vident, cæcos) sed  
quod factum est indicauit. Ipse enim vult omnes homines sal-  
uos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quam igitur  
humana natura arbitrij libertatem habeat, qui crediderint  
saluabuntur: qui vero non crediderint gehenna sibi sunt au-  
thores. Sic Iudas, qui Apostolus erat, postea exccatus est:  
diuinitus autem Paulus, quum antea cæcus esset, postea visum  
recepit. Sic per aduentum Saluatoris, Iudæorum plerique ex-  
cæcati sunt, gentes autem visum receperunt. Non tamen ob id,  
quod quidam aduersarij non erant credituri, dicendum est, dis-  
pensatiõnem saluatoris nostri secundum carnem non extitisse,  
hoc enim priuaret orbem salutis. Sic & per diuinum Simon  
dixit Ecce hic postus est in ruinam, & in resurrectionem mul-  
torum in Israel, & signum cui contradicetur. Veruntamen  
hoc ignorare non oportet, quod Deus omnium presentem vi-  
tam stadium hominibus esse declarauit, vt qui certant in eo  
proprium scopum declarent: in futuro vero saculo iuste iudi-  
cans, illos vt victores at hietas coronabit, hos vero punit tan-  
quam aucthores nequitie. Et quia non omnes credunt esse ali-  
quam aliam vitam futuram, Deus omnium etiam in hac vi-  
ta quosdam palam punit flagitiose viuentes, & vicijs alios  
religionis studiosos non mediocriter collaudat.

Euentus igitur fuit à Deo quidem præuisus, sed  
nullo modo venientis scopus. Quapropter detestanda  
eorum est blasphemia, qui Borboritas & Mani-  
chæos imitati, Deo scelera sua transcribunt.

## QVÆSTIO III.

An omnes habeant auxilium, quo possint  
vitare peccata?

§. 1. Non adfuisse Iudæis gratiam, qua peccata  
necauerent possent, quidam existimant, eam ta-  
men impotentiam esse concomitantem, non antee-  
dentem, ideo peccare eos statuunt. Concomitans  
impotentia est, quæ non est causa agendi, sed omni-  
no se habet ad actionem per accidens. Vt si avarus impoten-  
tia non det elemosinam, quia non vult, non confide-  
rans se non posse, si forte clam furto illi ablata sit pe-  
cunia, quod factum esse ipse nesciebat. Illa impoten-  
tia rehatentem non excusat. At in voluntate quando tam-  
est impotentia concomitans, etiam est antecedens:  
ideo impeditur libertas, nec peccat id agendo quod  
vitare non potest. Omnis enim eius impotentia vo-  
lendi, est causa non volendi. Itaque dicendum est  
hos cæcos dum ferentur in Christum impingunt,  
habuisse gratiam vitando peccato sufficientem, seu  
mediatè, seu immediatè. Nec sufficit in causa esse  
impedimentum, vt cum quispiam ab præterito pec-  
catum